

enim Phorcyn dicitur fuisse Cyrenæus: Cyrenæi feruntur genus duxisse ex Aethiopibus, et habitasse Cyrenen insulam, extra Columnas Herculis: Perseus perhibetur mare infestasse, et nunc fretum Herculeum infedisse nauibus, nunc loca inter Cyrenen et Sardin, atque ab vna insula ad alteram nauigasse. Ita enim res traditur in libris Mythici vulgatis et scriptis omnibus: sed verba eius facile apparet mendose descripta esse non vno loco. Et pro *Κυρήνη* quidem, *Κυρηναῖος*, et *Κυρηναῖοι*, reponendum docuit magnus ille Vuesselingius *Κέρνη*, *Κερναῖος*, et *Κερναῖοι*. Etenim Cyrenen insulam ignorant, sed Cernen insulam norunt, scriptores et geographi veteres omnes, et plerique eorum eam tradunt positam contra Atlantem, Mauritaniae montem, non procul ab Gadibus, atque adeo extra Columnas Herculis *): ita, vt incolae huius insulae facile intellegantur originem ducere potuisse ex Aethiopibus, et Libyae partem eam, quae erat ad Aunona fluuium, colere. Quae quum ita sint; quum ipse Fabularum interpretes nullo modo videri possit talem tantumque errorem errasse; quum illa Vuesselingii emendatio non tantum re ipsa et facilitate sua adiuuetur, sed etiam intelligentissimorum hoc in genere iudicium sententiis comprobata legatur **): quis de elegantia eius et veritate dubitet? At quid fiet de verbis *καὶ τῆς Σάργεων*? Sane iis nec Sardinia insula, quam Phasianus et Tolloius intellegi putabant, nec ager Sardinianus,

*) V. Cellarius Geogr. ant. p. 939 f. To. 2. Tzetzes ad Lycophron. 18 *Κέρνη*

νήσος Ὠκεανῆτις, ὅπουθεν ὁ ἥλιος δοκεῖ ἀνατέλλειν.

**) V. Valquenarius ad Herodo. p. 283